

bekannt sind, daß er zum Exempel, in Erffurth die Bibel so lieb gehabt und gewünschet, wenn er doch einmahl ein solch schön Buch eigentümlich haben könnte. Item, daß er viel Thorheit der Pfaffen angemercket, auch schon von der Gerechtigkeit Christi guten Begriff gehabt. Discipuli Christi, qui in Articulo de ejus Persona & divinitate Matth. XVI. 15. veram sententiam tenebant, in aliis tamen fidei capitibus, e. g. de Passione Christi, Regno ejus spirituali Luc. XXIV. 21. Act. I. 6. non modo haesitabant, sed quoque aliquamdiu errabant. Imo post largissimam Spiritus S. effusionem, Petrus adhuc cognitione circa praxin laborabat dubia, de fine scil. legum ceremoniarum, earumque obligatione Act. X. 14. Quae, cum in Ἑοπνεύσοις Viris ejusmodi deprehensum fuerit, satis ostendunt, Lutherum quoque mediata quidem & genuina, gradualis tamen & successiva, illuminatione gavisum fuisse.

§. VI. (III.) Papatus ac Sacramentariorum cohors ineunte Reformatione novos subinde errores protrudere incipiebat, qui eum necessario cautius rem agere admonebant, ita, ut nunc ea etiam, quae vera esse haecenus crediderat, secundum Scripturae normam exigeret, rejiceret ac damnaret. (IV.) Adsuescebat Lutherus indies ardentius orare, accuratius in Scriptura meditari, & cum varias gravissimasque tentationes subire etiam cogeretur, habitus ejus Theologicus non poterat non magis magisque confirmari ac corroborari. (V.) In Scriptis Lutheri posterioribus major certitudo, quam in prioribus elucescit circa omnes & singulos fidei articulos, & praecipue circa controversos, atque nunc a Pontificiis, nunc a Zvinglianis, nunc ab Enthusiasticis illius aevi impugnatos. Quae πληροφασία signum est subacti & confirmati in rebus divinis iudicii. (VI.) Denique, ut monitum, nullus dubitavit, Palinodiam Theologo & Christiano vere pio minime indignam canere, quod tamen ipsius honori tam parum, quam Augustini auctoritati detrahit, qui